



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 7. Quid dicendum de inadvertentia, inconsideratione, & oblivione?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

Ergo si non datur ignorantia invincibilis legis naturalis in aliquibus, alteruter in gravi peccato mortuus est, cum sit gravis culpa docere culpabiliter errorem circa præcepta divina, sicque damnatus est. 3. Quia cum aliqua præcepta sint valde abstrusa, & remota à primis principiis, à quibus sine longo ac difficili discursu deduci nequeunt, facile ignorari possunt invincibiliter præsertim à rudioribus, & hominibus tardioris ingenii, qui non sunt moraliter capaces longioris discursus, & quibus etiam sine illorum culpa possunt deesse occasiones, & opportunitates ad comparandam notitiam veritatis. 4. Quia inter varios articulos hic ordine tertius teste P. la Croix confixus est Romæ an 1685. die 8. Aug. *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem Juris naturæ in ullo homine, dum hic, & nunc contra jus naturæ agit.*

Q 7. *Quid dicendum de inadvertentia, inconsideratione, & oblivione?*

Not. Inadvertentia est privatio actualis attentionis. Inconsideratio est privatio debitæ inspectionis. Oblivio est privatio recordationis rei aliàs notæ. Undè differunt ab ignorantia habituali, quæ est privatio scientiæ habitualis. Possunt tamen comprehendi sub nomine communi
igno

ignorantiæ actualis, quatenus sunt privatio debiti cognitionis actualis.

Resp. Illæ eodem modo se habent ad peccatum, quo ipsa ignorantia habitualis, ita ut harum qualibet vincibilis sit peccatum secundum se; & actio, vel omissio mala, quæ ex illa sequitur, deputeretur ad culpam: secus, si invincibilis sit. Quia ad voluntarium, & involuntarium, se habent inadvertentia, inconsideratio, & oblitio perinde, ac ignorantia habitualis. Nam sicut cognitio habitualis non dirigit immediatè actum voluntatis, sed solum mediante cognitione actuali proponente objecta: ita nec quidquam facit ignorantia habitualis, nisi ratione ignorantie actualis, seu privationis cognitionis actualis.

Quare inadvertentia, & inconsideratio vincibilis, quæ scilicet potuit, & debuit vitari, est peccatum: nam homo tenetur consideratè, & prudenter procedere in actibus suis; & quodlibet præceptum obligat ad adhibendam advertentiam, ac considerationem, utpote necessariam ad sui observationem. Ea verò, quæ ex illa fiunt contra legem: quia malitia actûs tunc nullatenus, ne interpretativè quidem, est voluntaria; nam sine potestate cognoscendi non potest esse volitio.

Porro inadvertentia, seu inconsideratio culpabilis potest esse voluntaria i. In se ipsa, quando adest illa reflexio intellectûs
ad.

advertentis esse ampliùs considerandum, aut inquirendum, & voluntas vult agere sine majore consideratione. 2. In alio nempe, vel in actu positivo, quo quis vult aliud, quod advertentiam impediat, v. g. sequi passionem: vel in omissione diligentia, quæ posset, & deberet adhiberi: vel in aliquo defectu habituali non ignoto, v. g. in nimia præcipitatione in agendo, in negligentia ordinaria in attendendo, in prava consuetudine, quam quis emendare non curat.

CAPUT V.

De Concupiscentia, & peccatis infirmitatis, mania, & habitus.

Q. I. *AN motus Concupiscentia sunt peccata?*

Resp. I. Inordinati Concupiscentia motus, si libera voluntate excitentur, sunt peccata mortalia in materia gravi, & venialia in levi: quia sunt inordinati, & plene voluntarii, ac liberi: ergo nil illis deest ad culpam materia commensuratam.

Resp. II. Inordinati Concupiscentia motus, quamvis à dæmone excitati, vel sua sponte necessario exurgentes, accedente aliqua advertentia imperfecta, & consensu
volun.